✠

J. M. J.

BREVIS INFORMATIO PRO SUPERIORIBUS noſtræ Congregationis, circa methodum ſervandam ad ritè, ac debitè promovendas cauſas Beatificationis, ac Canonizationis.

CUM in ſancta noſtra Congregatione plurimi; tàm ex Fratribus, quàm ex Monialibus vita functis inſigni floruerint ſanctitate, cuius tamen probationes perire, eo quod oportuno tempore non fuerint confecti debiti hunc ad effectum proceſſus; quo circa ſatis difficilitér, ſeu potius nunquam (quod maximè dolendum) locus erit de eorum Beatificatione, & Canonizatione agendi; cumque huiuſmodi infortunium oriatur forsàn ex carentia, ſeu neſcientia praxis ſervandæ circa ea, quæ vel agenda, vel cavenda veniunt ad hoc vt cauſę Beatificationis, ſeu Canonizationis ritè, ac debitè valeant promoveri; hinc muneris mei eſſe duxi præſentem ad Superiores noſtros tranſmittere, informatiunculam, in qua per ſex paragraphos brevitèr inſinuantur, quæ magis neceſſaria, atque oportuna ad hujuſmodi videntur intentum.

§. I.

DE PRÆREQUISITIS QUOAD PERSONAM Servi Dei; ad hoc vt cauſa eius Canonizationis valeat promoveri.

1 SUpervacaneum quidem apud Viros in Theologicis, atque Aſceticis (cujuſmodi ſunt Superiores noſtri) apprimè verſatos ſermonem texere, de caſu in quo

cau-

causa Canonizationis sit promovenda, cum ipsos non lateat id fieri non posse, nisi, vbi concurrit fama sanctitatis personæ illius, de qua res est agenda, ijdemque optimé norint, in quo vera sanctitas consistat; & quomodò hæc probetur; verum quia Apostolicæ Sedis praxis modum certum præscripsit, quo sanctitas ad hunc finem intelligatur probata, hinc ad tramites eiusdem praxis oportunum censetur advertere duo copulativè requiri ad eamdem sanctitatem probandam; scilicet quod Dei servus, de quo res erit, præditus fuerit virtutibus, tàm Theologicis, quám Cardinalibus in gradu heroico, & quod claruerit miraculis eius intercessione à Domino patratis; talitér quod si hæc duo concurrant, tunc erit casus promovendæ Canonizationis.

2 Pro recta nihilominus horum intelligentia observandum est, opus non esse, quod Dei Servus in omnibus virtutibus heroicé se exercuerit, sed satis esse, quod in Theologicis, præsertim veró in charitate id præstiterit; quo vero ad Cardinales, in aliquibus ex eis actus heroicos ediderit.

3 Observandum paritèr, quod præcipué attendenda, atque inquirenda sit perseverantia finalis servi Dei; sicque tempore vltimæ infirmitatis, & obitus quosnam actus virtutum, qua frequentia, & intensione expleverit; quando enim plures ex eis, & non in gradu communi, interveniunt, peculiare signum heroicitatis vitæ, antè actæ, & perseverantiæ finalis depromitur.

4 Observandum ibidem, quod miracula quæ requiruntur pro Canonizatione, debent esse patrata post obitum servi Dei; cum hæc in cœlestis coronæ adeptæ signum Altissimus edere soleat; propterea si adessent in vita edita miracula, ea non sufficerent; quamvis non dubitetur quod huiusmodi miracula valdè conducant ad illustrandam, & comprobandam magis sanctitatem Servi Dei.

§. II.

§. II.

DE NONNULLIS QUÆ CAVENDA OMNINO ſunt ad hoc vt cauſa Canonizationis non maneat, impedita, aut ſaltem difficilis promoveri evadat.

1 QUoties ergo contingat obitus alicuius Servi Dei, qui virtutibus heroicis, & miraculorum dono, vt ſupra, decoratus fuerit, cavenda ſunt ſequentia; nimirum, vt illi nullus cultus publicus exhibeatur, proindeque cadaver eius tumulandum erit abſque vllo ſigno ſanctitatem referente, vel venerationem, ſicque illius memoria recolendam non erit in Eccleſiâ, vel in Religione aliquomodo, qui ſaperet publicam venerationem, prout eſſet elevatio cadaveris ſupra terram, accenſio lampadis ante illius ſepulchrum, appentio anathematum, ſeu donariorum (vulgò præſentallas) hæc enim & ſimilia rigoroſè prohibentur in quibuſdam decretis Sa. Mem. Urbani VIII. hac de cauſa editis.

2 Vetitum tamen non eſt, quod cadaver Servi Dei recondatur in loco aliquo ſeparato cum inſcriptione denotante perſonam, & tempus mortis; ſed quo ad hoc animadvertendum eſt quod poſtquam in loco decenti ſeparato tumulatum fuerit prædictum cadaver, nullatenus convenit ipſius ſepulchrum aperiri, donec authoritate Apoſtolica viſitandum ac revidendum venerit tale cadaver; & ſi fortè ob aliquod vrgens motivum iudicarent aliquando ſuperiores fas eſſe illud aperire, curent id exequi magno ſecreto, ac cautela, ita vt nunquam ad alicuius exterorum notitiam talis aperitio eveniat; aliàs notabile obſtativum progreſui ipſius beatificationis inde poſſet oriri, prout etiam interdictum non eſt recipere votivas tabellas, & donaria, quæ offeruntur á Chriſti fidelibus in ſignum miraculorum, & gratiarum obtentum,

cum hæc omnia licitè recipi possint à Sacrista Ecclesiæ; vel alijs superioribus ad effectum illa reponendi in aliquo loco secreto, inde non extrahenda, vsque dum Servus Dei fuerit á Sancta Sede Beatorum Cathalago adscriptus: qua etiam ratione vetitum non est imprimere, vel imprimi facere Imagines Servi Dei cum titulo venerabilis absque diademate, vel radijs, quæ auctoritate Ordinarij loci publicentur; cum hę Imagines nihil aliud sint quam excitamenta piorum fidelium ad imitandas Servi Dei virtutes, & implorandam illius intercessionem, & passim proinde permituntur ab Ordinarijs locorum: similiter non est vetitus cultus, ac devotio privata erga Dei Servum; vnde valent fideles eius sepulchrum visitare, ipsius intercessionem implorare, eiusdem reliquias retinere cęteraque erga ipsum venerationis signa prętare, quæ nullo modo cultum publicum redolent.

3 Præterea cavendum est ab alio inconvenienti; quod consistit in elucubratione, & divulgatione vitæ Servi Dei. Qua in re ne Superiorum nostrorum mentes admiratio subeat, advertendum est, ex huiusmodi lucubrationibus gesta Servorum Dei continentibus sæpè oriri in causis Canonizationum gravia incommoda, dum ex eis desumuntur obstativa, & saltem difficultates, quæ remoram ad tempus, injiciunt prosecutioni earundem causarum; quod quidem plerumque provenit, quia cum vitarum scriptores innitantur simplici assertioni personarum; quæ gesta retulerunt, absque debitis interrogationibus, nulloque delectu adhibito, tractu temporis posteà huiusmodi gesta in vitis exposita, vel veritate destituta reperiunt, vel contradicunt depositionibus testium in processibus examinatorum, vel præseferunt aliquem actum Servi Dei qui commendabilis non est, & forsàn etiam apparenter peccaminosus. Quare optimum consilium in hac materia videtur, quod omnino à dicta vitæ divulgatione abstineatur.

4 Et quatenus etiam ex aliqua particulari ratione vtilis crederetur vitæ divulgatio, ea non nisi triplici interveniente conditione permittenda est; prima videlicet, quod eadem vita

elabo-

elaboretur post transmissos processus ordinarios ad Sedem Apostolicam, & signatam per Summum Pontificem commissionem introductionis causę. Secunda, quod Scriptor narrationem gestorum vnicè fundet in depositionibus testium in dictis processibus examinatorum, omissis omnibus alijs, quæ aliunde probari possent. Tertia, quod in eisdem gestis referendis cavere curet ab ijs quę contradictionem inducant; quę etiam alicuius virtutis exercitio saltem apparentèr nebulam effundant; & demum quæ in linea charismatum valdè extraordinaria videntur, servatis igitur hisce conditionibus vitæ divulgatio carere poterit ijs periculis, quæ aliàs occurrunt; præcipué si expectetur signatura commissionis in introductione causæ; cum ex scripturis hac occasione editis per fidei Promotorem, qui figuram oppositoris in huiusmodi causis gerit, deprehendi valeat, an adsit aliqua difficultas in exercitio virtutum Servi Dei.

5 Omittendum tamen hic non est, quod per insinuationem prędictæ cautelę non evulgandi vitam Servi Dei interdicta esse non debet lucubratio alicuius relationis manuscriptæ continentis illius saltem principalia gesta; imó huiusmodi relatio est valdè necessaria, curareque debent supęriores, vt statim post obitum Servi Dei, quem Beatificatione, ac Canonizatione dignum iudicaverint per Religiosum aliquem doctum, ac discretum accuraté, ac secreto, quod fieri possit, conficiatur, cuius originale remanere debet apud Superiores ipsos reconditum (pro casibus, qui forsàn in decursu causæ occurrent) ac secretum, ita vt ad nullius exterorum præsertim manus, aut notitiam deveniat, nisi post Beatificationem prędicti Servi Dei. Statim autem, ac confecta sit talis relatio, fieri debet transumptum vnicum eiusdem, quod superiores quantotiùs ad Procuratorem Generalem pro tempore hac in Curia degentem transmittent, ad hoc vt iuxta eam curet protinus efformari instructionem particularem (quam confectam ad Superiores ipsos mittat) pro ritè, & ad stilum praxis, ac decretorum normam construendis processibus au-

thoritate Ordinaria, vt dicetur §. sequenti, num. 3. Ipse autem Procurator Generalis relationem præfatam de cætero recondita, ac secreta pro casibus contingentibus servabit.

§. III.

DE PROCESSIBUS AUTHORITATE ordinaria conficiendis.

1 Posito quod aliquis Dei Servus dignus censeatur, vt causa Canonizationis de ipso promoveatur, in loco vbi ex hac vita decesserit, duo separati, & distincti processus authoritate Episcopi conficiendi erunt; alter qui dicitur super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum, vbi examinandi sunt testes quotquot haberi poterunt de visu quo ad prædicta; admissis etiam aliquibus testibus de auditu, quoties eorum depositio coadjuvare potest probationem alicujus facti per testes de visu semiplenè probati, vel inservire ad augendam famam sanctitatis, virtutum, & miraculorum Servi Dei. Alter processus erit, super non cultu præstito, sive qui dicitur super paritione Decretorum Sa. Mem. Urbani VIII. in quo examinabuntur testes deponentes Servo Dei, sive illius memoriæ nullam speciem cultus publici fuisse præstitam, minusque tempore processus præstari; & huc spectant ea quæ suprà dicta fuerunt in §.II. super cautione adhibenda, nè cultus publicus vllo modo Servo Dei exhibeatur.

2 Quod dictum fuit de confectione processus super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum in loco obitus Servi Dei, extendi debet ad locum ipsius nativitatis, & alia etiam vbi ipse diù moram traxit, vel saltim vbi alicujus virtutis magnum aliquod specimen edidit, vel miraculum aliquod patravit; in omnibus enim hisce locis conficiendi erunt authoritate Ordinaria congrui processus super fama sanctitatis, virtutum, & miraculorum per examen testium; qui vt suprà erunt

in-

informati, omisso processu quo ad cultum non præstitum cum satis sit, quod ille conficiatur tantum vbi requiescit Servus Dei.

3 Vt autem prior processus super fama sanctitatis vtilitèr fiat duo advertenda erunt, primum, quod illius constructio diù non differatur ab obitu Servi Dei, ne aliás deficiant probationes, quæ per examen testium de visu, qui ve præsentes fuerunt, obtineri possunt. Secundum, quod constructio vtriusque processus fiat iuxta particularem instructionem, quæ ab Vrbe mittatur; cum enim illorum validitas, & relevantia examinanda sit ad normam Decretorum Sa. Mem. Urbani VIII. & Vener. Servi Dei Innocentij XI. & styli Sacræ Rituum Congregationis valdè rationabile est, quod regula servanda in eorundem processuum informatione petatur, vbi dictum examen peragi debet, vt hoc pacto constructio processus ritè, rectèque fiat. Ad hunc vero finem necesse erit, quod ad Vrbem transmittatur, vt dictum est §. præcedenti, numero vltimo, plena relatio rerum gestarum Servi Dei, vt, qui formandæ instructioni incumbit, valeat etiam contemporaneè extendere articulos, & interrogatoria super quibus examinandi erunt testes, cum expositione illarum circunstantiarum, quæ ad eruendam veritatem ex ore testium, & plenam virtutum probationum super sanctitate vitæ, ac miraculis requiruntur.

§. IV.

DE IJS QUÆ APUD SEDEM APOSTOLICAM agenda sunt donec causa ponatur in statu, vt quando Suprioribus placuerit valeat annuente Sanctissimo in Congregatione particulari proponi dubium super virtutes in gradu heroico pro Beatificatione consequenda.

1 Postquam confecti erunt in partibus processus supradicti authoritate Ordinaria super fama sanctitatis vitæ, virtutum, ac miraculorum Servi Dei, necnon super

cultu ei non præstito ij omnes clausi, ac sigillati statim ad Urbem transmittendi sunt, & ibidem apud acta Notarij Sacræ Congregationis Rituum de hujus beneplacito aperiendi, atque in Italicum Idioma traducendi. Subinde vero præsentatis Summo Pontifici epistolis supremorum Principum, Episcoporum, Universitatum pro Canonizatione instantium (quę epistolæ præventivæ à Superioribus sollicitatæ, & obtentæ, simul cum præfatis processibus, aut saltem paulopost transportari ad hanc Curiam debent) factaque in scriptis per causæ Procuratorem informatione, & summario desumpto ex processibus super fama sanctitatis, & miraculorum, editisque per fidei Promotorem animadversionibus, & congruis responsionibus per Procuratorem, ad relationem vnius ex Eminentissimis DD. Cardinalibus, qui dicitur Ponens, proponitur in Sacra Congregatione Dubium: *An sit signanda commissio introductionis causæ.*

2 Quatenus prodeat responsum affirmativum Summus Pontifex primo loco approbat hoc decretum editum super signatura commissionis, & posteà manu propria eandem commissionem signat.

3 Successivè paratis alijs scripturis, vt supra, proceditur, ad propositionem alterius Dubij desumpti ex alio processu quo ad cultum non præstitum Servo Dei, quod ita formari convenit: *An sententia Reverendissimi Ordinarij lata super paritione Decretorum Sa. Mem. Urbani VIII. sive super cultu non exhibito sit confirmanda in casu, &c.*

4 Edito responso affirmativo, eoque per Sanctissimum approbato; Sacra Congregatio decernit litteras remissoriales, & compulsoriales tribus Episcopis, vel iuxta locorum contingentiam, vni Episcopo, & quatuor dignitatibus, seu Canonicis Cathedralis directas ad finem conficiendi processum super fama sanctitatis, & miraculorum in genere quo confecto transmittitur ad vrbem copia, eaque aperta, modó; quo supra, proponitur dubium: *An constet de validitate, & relevantia processus Apostolici super fama sanctitatis, & miraculorum in genere constructi in casu &c.*

Quo-

5 Quoties emanet responsum favorabile, & sequatur consueta Summi Pontificis approbatio, licet aduc non effluxerint anni quinquaginta ab obitu Servi Dei (quod quidem advertitur ad finem evitandi errorem in aliquibus causis iam admissum) conceduntur à Sacra Congregatione litteræ remissoriales, & compulsoriales directè vt supra, ad effectum construendi processus super sanctitate, virtutibus, & miraculis in specie; vbi signantér curandum est, vt repetantur ijdem testes, qui examinati fuerunt in processu ordinario, quatenus posibile sit, sin minus alij, qui habentur de visu, vel saltem de auditu à videntibus; quibus processibus confectis, & transmissis ad vrbem, ac vt moris est apertis, proponitur dubium: *An constet de validitate processuum authoritate Apostolica in specie, & ordinaria respectivè constructorum testes sint ritè, & rectè examinati, & iura legitima compulsata in casu, &c.*

6 Obtento responso affirmativo remanet causa in statu tuto; ita vt transactis quinquaginta annis ab obitu Servi Dei, poterit statim fœliciter prosequi; liberumque superioribus sit ipsius prosecutionem ad tempus sibi benè visum differre. Quæ autem pro huiusmodi prosecutione vsque ad Beatificationem restant agenda non ad Superiorum, sed ad Procuratoris Generalis pro tempore in Curia existentis curam de ipsorum mandato spectat.

§. V.

DE AGENDIS POST BEATIFICATIONEM AD effectum promovendi causam ad solemnem Canonizationem.

1 ABsoluta Beatificatione si Altissimus dignetur signum aliquod suæ voluntatis, pro exaltatione Servi Dei in Ecclesia Universali ostendere, atque ita super-

veniant nova miracula intercessione Beati edita; concurrentibus instantijs Supremorum Principum Episcoporum vniversitatum ad Summum Pontificem directis, in quibus fiat mentio famæ dictorum miraculorum, necnon præcrebescentiæ eiusdem famę, necesse est recursum habere ad Sacr. Rit. Congregat. pro impetranda signatura commissionis reasumptionis causæ, editoque propterea favorabili rescripto, postquam Summus Pontifex illud de more approbaverit, signatur ab eo manu propia commissio prædictæ reasumptionis, vt Sacra Congregatio procedere possit in causa.

2 Præsentata hinc eadem commissione Sacr. Congregationi necesse est petere facultatem construendi processum, sive processus super novis miraculis in locis, vbi eadem miracula contigerunt, ad quem finem obtinentur litteræ remissoriales directæ tribus Episcopis, sive Episcopo loci, & quatuor dignitatibus, seu Canonicis illius Cathedralis; compilato autem per hos Iudices huiusmodi processu, eoque ad vrbem transportato, & aperto examinanda est validitas eiusdem processus, modo quo supra dictum est de alio processu remissoriali super virtutibus, & miraculis in specie; sollicitare autem huiusmodi examen, curareque de cæteris, quæ vsque ad solemnem Canonizationem agenda supersunt, non est Superiorum, sed Procuratoris Generalis pro tempore in hac Curia degentis de mandato ipsorum.

§. VI.

PROPONUNTUR SUMMATIM; AC SUB debito ordine ea quæ ad Superiorum curam spectant in ordine ad promovendas causas Beatificationis, & Canonizationis.

1 EX his quæ paragraphis antecedentibus dicta sunt, colligitur series eorum, de quibus Superiores curare debent, si causam aliquam Beatificationis, & Cano-

nonizationis ritè; ac fœliciter promoveri voluerint.

2 In primis igitur postquam vita functus fuerit aliquis ex Fratribus, seu Monialibus nostris, quem Superiores cultu publico dignum eiusque Sanctitatem probationis iuxta dicta §. 1. capacem iudicaverint, sollicite cavere curantes ab his quæ vitanda diximus §. 2. providere quantotius debent construi relationem manuscriptam de qua egimus §. 2. n. 5. & §. 3. num. 3. transumptumque ipsius transmitti ad vrbem, ad hoc vt Procurator Generalis per aliquem ex Patronis similium causarum construi faciat iuxta dictam relationem specialem instructionem, pro rite conficiendis processibus authoritate ordinaria; quæ confecta remitti debeat ad Superiores ipsos, qui quantotius curabunt construi processus supradictos super sanctitate vitę, virtutibus, & miraculis Servi Dei, in locis opportunis, prout dictum est §. 3. Postquam autem in loco vbi vita functus est Servus Dei confectus fuerit talis processus, debet ibidem confici alius authoritate ordinaria super cultu non præstito, seu paritione decretorum, &c. Et postquam terminatus fuerit quilibet ex dictis processibus ab ipso Iudice claudi debet, ac sigillari.

3 Ipso autem tempore, quo huiusmodi processus conficiuntur, sollicitare debent Superiores epistolas Summorum Principum, Episcoporum, Universitatum depostulatorias Canonizationis Servi Dei, quę obtentæ, transportari debent Romam simul cum processibus omnibus supradictis, clausis, ac sigillatis; mandabuntque Superiores, Procuratori Generali, vt quantotius consignatis Sacr. Congregationi Rituum processibus præsentatisque epistolis, supplicationem exhibeat pro signatura commissionis, expeditioneque litterarum remissorialium, & compulsorialium, quas expeditas transmittat ad Superiores ipsos, qui curam habebunt, vt prędictis litteris, per designatos Iudices debita pręstetur executio, conficiaturque processibus authoritate Apostolica super fama sanctitatis in genere, qui terminatus sigillatus intus, per Ordinarium, seu Principalem Iudicem, omnesque

con-

coniudices ; clausus ; & iterumque sigillatus foris ; seu ad extra per solum Ordinarium, seu dictum principalem Iudicem transportari Romam debet; mandandumque est Procuratori Generali, vt eum Sacrę Rituum Congregationi consignet, procedatque ad instantiam pro expeditione litterarum remissorialium pro construendis processibus authoritate Apostolica super virtutibus, & miraculis in specie, quæ obtentę, & ad eosdem Superiores missę, curabunt ipsi, vt executioni mandentur eo modo, quo de prioribus dictum est.

4 Confectos processus hosce sigillatosque, eodem prorsus modo quo priores supra dictos, transportari providebunt Superiores ad vrbem, mandantes Procuratori Generali, vt ijs Sacræ Rituum Congregationi consignatis procedat ad cætera quæ restant vsque ad approbationem validitatis eorum, & rectè examinationis testium inclusive. Hæc omnia curare debent Superiores, vt brevitate posibili exequutioni mandentur ob eam causam, quod summopere expediat ponere in tuto, dicta testium vnde hauriantur probationes quo ad virtutes Servi Dei in gradu heroico, & miracula eius intercesione patrata, quæ probationes haberi aliter non possunt, quam per expeditam constructionem dictorum processuum; si enim illæ deficiant, actum est de causa Canonizationis, dum necessarium omnino est, quod in processu Ordinario examinentur testes de visu, ijsdemque posteà, si adhuc vivant repetantur in processu Apostolico, vel in hoc examinentur alij testes de visu, & saltem de auditu à videntibus, qui sanè effectus obtineri non potest, nisi citó construantur dicti processus.

5 Absoluta constructione horum processuum remanent plura agenda vsque ad Beatificationem exclusivè, at quia probationes iam positæ sunt in tuto, nulla necesitas (iuxta frequentiorem casuum contingentiam) vrget ad finem procurandæ sollicitam negotij expeditionem, cum liberum sit illud prosequi, vel, differre pro placito Superiorum. Unde quamvis plures simul adsint causæ in huiusmodi tuto statu

con-

constitutæ, non est necesse, vt neque omnes, vel plures simul, aut succesivè promoveantur ad vlteriora; sed si Superioribus placuerit, promovere poterunt plures simul, aut succesivè, aut vnica tantum, aut nulla; neque inter illas ordinem servare necesse est; ita vt quæ prius posita est in tuto, prius promoveatur ad terminum; sed hoc etiam erit ad nutum Superiorum, qui ex causis omnibus in prædicto statu tuto constitutis prius promovere ad vlteriora poterunt quam maluerint. Econtrà autem, quamvis in numeri floruerint in Congregatione nostra, quorum sanctitas cultu publico esset digna; si oportuno tempore non mandantur executioni supradicta, pereunt probationes; ita vt quando Superiores vellent alicuius ex illis causam Beatificationis, aut Canonizationis promovere nullatenus vallerent: iam locus non esset huiusmodi promotioni, quia probationes periere.

6 Pro pleniori autem horum intelligentia advertendum occurrit, quod peractis omnibus supradictis, quæ prorsùs requiruntur ad collocandam causam in statu tuto, non datur processus ad vlteriora, nisi prius spatium quinquaginta annorum ab obitu Servi Dei decurrerit iuxa Decretum Vrbani VIII. quod inviolabilitér observatur; hęc autem temporis mora non officit quando oportuno tempore in tuto positę probationes fuere. Porrò quod dictum est de sollicita confectione supradictorum processuum super virtutibus, & miraculis Servi Dêi ad finem obtinendi Beatificationem, procedit etiam quo ad processus conficiendos super miraculis, quæ post per actam Beatificacionem superveniant; ij enim servatis servandis sollicité construendi sunt ne pereant probationes, remanente posteà facultate prosequendi causa tempore benè viso.

7 Ad huius informationes complementum superest animadvertere, quod antequam signetur commisio pro introductione causę Beatificationis alicuius Servi Dei, debent prius in Sacra Rituum Congregatione examinari quælibet ipsius scripta quantumvis minima, ac etiam si vnicam tantum lineam

con-

contineant, si fortè adsint; huiusmodique examen esse solet remora plurium similium causarum; quapropter vtilè valde erit quod statim secuto obitu alicuius ex Congregatione nostra quem Beatificatione, & Canonizatione dignum, ac capacem Superiores nostri iudicaverint, curent diligentèr ad manus habere omnia ipsius scripta vbicumque reperiantur; ea quæ per Religiosos doctos, atque cordatos examinari mandent maturè, & accuratè; & postquam sic fuerint examinata Superiores ipsi omnia illa apud se recondant; notificantesque individualitèr Procuratori Generali in hac Curia, & qualitatem dictorum scriptorum, & materiam de qua vnumquodque tractat, iudiciumque examinatorum erga singula, ipsi mandent, vt secreto consulat Patronum aliquem ex peritis, & approbatis à Sacra Congregatione, quid in casu agendum sit, ac de consilio, seu responso accepto Superiores ipsos idem Procurator Generalis certiores faciet, vt ipsi prædicto habentes consilio norint quid, & qualitèr de dictis scriptis disponere valeant, ac debeant.

8 Animadvertendum est, insuper quod quamvis ex Decreto Innoc. XI. prohibeatur signatura commissionis, & introductionis causæ Beatificationis, in Sacr. Rit. Congregatione, nisi post elapsos decem annos à die præsentationis processus authoritate ordinaria confecti, super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis Servi Dei; non debent propter hoc Superiores nostri interrumpere, aut retardare supradictam seriem agendorum; quia ad effectum, vt non pereant probationes faciliter obtinetur à Sacr. Congregatione dispensatio prædicti decreti. Præsens informatio remanere debet apud Superiores nostros; inconveniensque esset ex aliquibus capitibus, quod ad manus exterorum deveniret. Quæ omnia dicta sunt, Salvo semper &c.